Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2731
Quelle:
Copyright:

fecto et perfectiora sensu. et eloquio culciora. Quod quia minime factum. grandem estimantes iacturam tanti uiri dicta perire. prout licuit non prout oportuit. collegimus. ordinauimus. descripsimus. Et quoniam a diuersis excepta erant. ad unam redegimus dictionis formam. exceptis his quę dictauerat paucissimis tamen. quibus manum apponere presumptionem deputauimus. Sermones quoque singulos per capitula distinximus. eum imitati qui hoc in quodam fecerat. nouo quidem more sed decore non inutili. Illud satis in hoc opere molestum. quod ab aliis atque aliis aliter atque aliter habentur. dum auiditate nimia preripere festinarunt incorrectos. &c. Vides itaque a Monachis *Morimundensibus Odonis* discipulis haec tanquam genuina Exemplaria venditari. *Prologum* excipit Elenchus Sententiarum V. T. quae explanantur; de N. T. silentium, cujus tamen Expositio *fol.* 60. incipit. Sermo I. in illud *Gen.* I. 14. *Fiant Luminaria*, incipit: *Factura luminarium si tropologice consideratione sacramentum intueamur splendidius in moribus et natura radiat animi quam in firmamento cęli* &c. Compilatio tota abrumpitur in quadruplici modo Scripturas diuinas tractandi, scilicet *historico* seu literali, *allegorico*, *tropologico* et *anagogico*. An multum ultra procurrat, nescio; rara enim sunt Exemplaria *ms.* neque in *Bibl. Bibl. Mss. Montefalconii* nisi *Cassinense* unum T. I. p. 226. alterum Bibliothecae, cujus nomen *Montefalconio* excidit, T. II. p. 1280. reperias. Aliud suggerit *Labbeus* in *Bibl. Mss.* p. 208. Neque puto aliud designari per *Sermones in divinam Scripturam* LVI. ab *Odone* dictatos, quos in Coenobio *Morimund.* et apud *Ferd. Ugbellum Romae* fuisse ait *Carol. de Visch Bibl. Ord. Cist.* p. 254. qui tamen, ut mihi videtur, *Odonem* et *Morimundum* male in *Longobardiam* et Dioecesin *Mediolan.* transfert.

II. *fol.* 108. manu Sec. XV. *Conpendium Anticlaudiani editi a magistro Alano de humana natura. Alanus* hic est *Insulanus Flander* O. Cist. mortuus a. 1202. variis scriptis notus, inter quae ejus *Anticlaudianus* Poema versu hexametro Libris IX. constans, de cujus adpellatione tractat *Polyc. Leyserus Hist. Poet. et Poem. med. aevi.* p. 1016. Extat post alias Editiones in *Alani Opp.* a *Carolo de Visch* curatis *Antverp.* 1653. p. 313. f. In hunc *Anticlaudianum* Ludum rhythmicum scripsit *Adam de Basseia* Canon. *Insulensis* teste *J. Fr. Foppens Bibl. Belg.* T. I. p. 4. et *Radulphus de Longo Campo Anglus* O. Cist. Commentarium, ut post *Baleum*, *Pitseum* et *Vischium* perhibet *Tannerus Bibl. Brit.* p. 486. Nemo tamen Epitomatoris nostri meminit, qui incipit: *Magister Alanus peritus quondam in multis scientijs quendam auctorem compilauit, bene quatuor milium versuum uel plus, quem anticlaudianum nominauit. in quo intendit describere hominem ex natura humana*